



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,  
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,  
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ  
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XV. De cumulatione, ac variatione judiciorum, & actionum; Et quando  
electio unius, alteri præjudicet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

De cumulatione, ac variatione judiciorum, & actionum; Et quando electio unius, alteri prejudicet.

## SUMMARIUM.

- 1 **A**ctor non potest intentare plures actiones diversas, vel contrarias, sed reus uitit pluribus exceptionibus diversis, vel contrariis.
- 2 Per electionem unius ex pluribus actionibus, alius res manet prejudicatum, ut variari non posse.
- 3 Fallit in executivis, in quibus cumulatio, & variatio datur, & de variatione etiam in execuendo.
- 4 In vim clausularum salutarium datur variatio etiam in ordinariis.
- 5 Declaratur quando clausule operentur, nec ne.
- 6 De materia compatibilitatis, vel incompatibilitatis, in judicio possessoris.
- 7 Quando per electionem actionis criminalis censeatur renunciatum civili, vel è contra, si utraque est ex causa paenae.
- 8 Quid ubi una est ratione paena, & altera pro interesse.
- 9 Quando iudex civilis imbeat criminali, vel è contra.
- 10 Iudicium universale quiescere facit iudicium particolare.
- 11 Iudicium possessorum suspendit, & quiescere facit petitorum.
- 12 Ita etiam iudicium purgationis attentatorum suspendit negotium principale.
- 13 An & quando ille, qui sentiat iudicium ordinarium, regredi posse ad summarium, vel exequitorium, & è contra.
- 14 Quando dicatur intentatum iudicium ordinarium ad dictum effectum.
- 15 An id sequatur per exhibitionem articulorum, & per testimoniū examen.
- 16 Quod regulariter examen testimoniū non congruat iudicio exequitivo.
- 17 Quando per electionem via ordinaria, non censeatur prejudicatum exequitive.
- 18 Ille, cui concedatur potestas variandi tenetur ad refectionem expensarum.
- 19 Clericus, qui conventus coram iudice laico diffusat opponere clericatu, tenetur reficere expensas cum declaracione.
- 20 Quid de privilegiato eligente, vel variante forum in vim l. unicæ.
- 21 Electione iudicij ordinarii ex parte unius non prejudicat alteri partii iudicio summario, vel exequitorio sibi competente.
- 22 De commissionibus, & re scriptis adversus preventiones, vel iudicia introducta ex parte rei.

## DISC. XV.

- 1 **J**uris civilis rigorosa formalitates, Actoris facultatem denegant, cumulandi plures actiones diversas, vel diversi judicia; Reo tantum concedendo, ut ad sui defensionem, plures diversas, imo contrarias exceptions proponere valcat, *Sanfel.* decif. 72. *Gregor.* & add. dec. 242. *Capyc. Latr. consult.* 114. num. 9. *Mantic.* decif. 141. add. ad *Buratt.* dec. 5 8. Ideoque Reo opponente, Actorem obligant ad se restringendum ad unam ex pluribus intentatis a-

ctionibus; Eadem quoque denegando variandi facultatem, quodque propterea per unius electionem in aliis prejudicatum sit, eisque praclusus aditus, vel regressus, *Cap. ut quis duas de elec. in 6. & infra num. 7. cum seq. Buratt. decif. 208. & 502. decif. 200. post Zanch. de obl. cam.*

Tribunalium autem, frequentius recepta praxis, cum aliqua varietate, pro diversis legibus, vel stylis, ex eadem tamen genericā ratione æquitatis, vel naturalis veritatis de facto attendendæ, huiusmodi rigores, quos forte illorum temporum mores exigebant, hodie vero indiscretos, parumque rationabiles fateri oportet, nimirum temperavit; Distinguendo in primis inter judicia ordinaria, & summaria ac exequitativa, ut in hac secunda specie, cumulatio concedatur, ac etiam variandi facultas pro codem fine assequendo. *Mantic. dicta decif. 141. per add. ad Buratt. dicta decif. § 8. cum aliis ubi supra.*

Hinc proinde receptum est, ut creditor debitem in processu summario, & exequitivo cogenti ad solutionem debiti, vel ad aliud implementum, facultas competat, utramque actionem, seu utrumque remedium, reale, & personale cumulare, ac etiam de uno in aliud variare, ut scilicet, facta exequitione in bonis, exequitionem personalem, vel è converso, petere valeat, imo etiam in eodem actionis vel exequitionis realis genere variare, ut ita debitor magis tradio, ac molestii affectus, id, ad quod tenuerit, adimplat; Quoties tamen, quedam non scripta æquitas, Judicis officium impellat ad id denegandum, quia nempe, ex jam facta realis exequitionis imminentि consumatione, prompta sit satisfactio; Id autem certam non recipit regulam, cum pendaat ex facti particularibus circumstantiis, prudenti. Judicis arbitrio pensandis. *Franch. & add. decif. 200. Rot. decif. 122. & 161. p. 6. rec. 163. & 197. post Zanch. de oblig. decif. 343. par. 10. & sapient.*

In causis vero ordinariis, illisque summariorum, que quamdam ordinariarum figuram, seu speciem, circa ordinem processus, redolere videntur, ut in aliquibus judicis possessoris contingit; Ex beneficio clausularum, que in libellorum, ac monitoriorum rubrica insinuate sunt, *disc. 8.* licita redditur illa cumulatio, que incompatibilitatem non redoleat; Et quatenus etiam incompatibilis obstat, adhuc tamen cumulatio proficia est, ut ita censeatur deductum omne validius, & pinguis remedium, quod de jure magis competere, causa progressu doceat, usque quo per sententiam, vel per alium restrictionis, vel declarationis actum, unius ex compatibilibus electio sequuta sit, cum incompatibilium simultaneum concursum pro fine iudicij, neque praxis admittat, & de consequenti, neque variatione electione jam facta concedatur, ideoque clausula operativa sunt pro iudicij ingressu, ac etiam pro aliquo progressu ne juxta antiquos rigores, ob libelli inceptum, processus omnino corrutus non autem pro egressu, per sententiam, vel per decrenum, ejusque exequitionem, *infra in eo disc. m quo agitur de sententia.*

Adhuc tamen, quod magis benignè fieri potest, incompatibilis interpretationem recipit, seu conciliatur; Ut putat (ex. gr.) possessoria retinendæ, & adipiscendæ, vel recuperandæ, contraria, sive incompatibilis reputantur, adeo ut regula sit, quod petens immitti vel reintegrari, fateatur se non possidere, quinimò fateatur colligantem esse possesorem, cui propterera pro manutentione, ista confessio sufficit ad suę possessionis probationem, quam-

vis injusta, & intrusiva dicatur, ut agendo de huiusmodi possessoriis interdictis infra particulariter advertitur, in eo disce, in quo agitur de possessione retinenda, seu manuentione. Et tamen adhuc possibilis intellectus compatibilis admitti solet, ut scilicet in illo, qui possessionem civilem tantum habet, eiusque vigore interdictum retinenda intentando, aliud reintegranda, vel adipiscenda cumulet, admittitur ista compatibilis cumulatio, quod nempe immisso sit referibilis ad confirmationem possessionis, quae jam animo obtineatur, sed naturaliter, vel de facto ab alio turbetur, vel occupetur; Sive quod reintegratio, sine prajudicio possessionis civilis, qua animo retinetur, ad naturalem referatur, de facto ab alio occupata, ut ita naturalis cum civili conjugatur, Othob. decis. 121. decis. 7. 8. & 226. par. & rec. add. ad Buratt. decis. 160. & 269. Posth. de manu. observ. 57. numer. 75. & seqq. cum similibus, quibus eadem congruat ratio, pro facti qualitate;

Quoties etenim omnimoda incompatibilitas non resistat, tunc omnis possibilis intellectus capi debet, ita potius attendingo naturalem aequitatem, vel facti veritatem, quam antiquas, & rigorosas legum civilium formalitates, quandam judaismi speciem redolentes.

Quero ad variandi facultatem, & an per electionem unius actionis, vel remedii, aliis irreparabiliter praedictum sit; Tres cadere videntur inspectiones; Primo nempe in illis causis, in quibus utraque civilis, & criminalis via, vel utrumque iudicium, in eadem ratione pœna; alternative competat, non autem cumulativæ; Ut puta pro injuriis, duplum pœnalem actionem lex alternative concedit, ad injuriati electionem, pœnitentia scilicet personalis, & multa pecuniarie in duplos, vel triplo, seu quadruplo &c. Tunc etenim, si actor, viam vere criminalem pœna personalis eligat, atque pro ea actionem intenterit, sibi perpetuo, vel in substantia praedictum intulit in actione civili pœna pecuniarie, sibi applicandæ, ad quam regredi non potest; Nisi restitutionis in integrum beneficio, illi subveniendum sit, cum recte inret regulæ alternatorum, ut per unius electionem, alterius renuntiatio resulteret.

Altera est inspectio, circa illum, utriusque civilis, & criminalis concursum, qui simultaneus, & compatibilis est, absque aliqua praedictitate, quia nempe uterque sit eiusdem causa effectus cumulativus; Ut puta, pro vulnera seu violentia, aut pro alia iniuria, competit actio criminalis ad pœnam pro delicto, & actio civilis ad refectionem damni, seu eius quod interest, ex eiusdem delicti causa; Et tunc, quando non obstat fori diversitas, que praedictitatatem causet, recte intrat cumulatio ab initio, vel etiam ex intervallo, que variationem quoque importet, cum nulla dignoseatur incompatibilitas, neque urgat ratio alternatorum.

Tertia est inspectio, potius ordinis, quam substantia, utriusque actions, ratione scilicet praedictate, vel connexionis, quia nempe, una ab alia dependat, quodque alias super eadem re in utroque iudicio eiusdem instantie, diversa, vel contraria sententia emanare possint; Ut puta [exemplificando iuxta frequentiorem contingentiam] quæstio est inter testatum, ac intestatum heredem, super testamento falsitate, ex qua utraque actio, sive uterque effectus civilis, & criminalis, compatibiliter refutatur, quoniam si testatum falso declarabitur, intestato heredi competet actio civilis pro affectu testam hereditatis & actio criminalis pro pœnitentia falsitatis, neque unius actionis exercitium,

alterius competentiam tollit; Adhuc tamen unius electio, vel preventio, alteri praedictis est, causamque impedit, non quidem in totum, vel in substantia, sed in solo ordine, sive ad tempus, ut scilicet unus iudex, puta causa civilis iam preventa, inhibeat alteri iudicii posterioris causa criminalis, ut ulteriore processum suspendat, atque causa civilis exitum expectet; Siquidem si in iudicio civili scriptura falsa, & alias vitiosas declarabitur, ad effectum, ut non probet, nullumque effectum operetur, vel actionem, seu exceptionem producat, & tunc iudex criminalis suum processum reassumet, pro criminis pœnitentia; E è converso, si in iudicio civili scriptura declarabitur vera, & fide digna, tunc inconveniens erit, ut iudex criminalis in iudicio falsitatis procedat, de dicta distinctione sub tit. de juris dict. disce. 77. 79. & 81. & in supplemento, Farinac. quest. 100. Buratt. decis. 3. 4. & 944.

Adhuc tamen in hoc, magnam partem habent, Dictionum, vel Tribunalium stylorum, sive particularium causarum circumstantiarum, pro Principum vel supremorum Magistrorum pro tempore existentium genio, vel stylo, dum in Curia, in aliquibus causis gravis momenti, diversimode practicari vidi; Verum ista dicenda venient limitationes regulæ, quæ modo quo supra constituta est.

Eademque praedicta, non in substantia, sed in ordine, verificatur etiam, in eodem genere causarum civilium, quarum cognitio, ad unum, cumdemque iudicem spectare potest, ut scilicet in tentatio unius, suspendat alteram, illamque faciat quiescere, donec una terminetur; Puta quod iudicium universale suspendat, & quiescere faciat iudicium particulare; Vel quod causa possessori, suspendat, & quiescere faciat causam, seu iudicium peccatori; Aut quod causa, seu iudicium purgationis attentatorum, suspendat causam principalem, cum similibus, de quibus in suis respectivè sedibus, vel Rubricis infra.

Altera est praedicta inspectio, quæ respicit eiusdem individuæ cause, vel actionis naturam, magis vel minus privilegiatam qualitatem, quia nempe pro eodem jure, vel actione, duplex via, vel duplex iudicium competat, ordinarium scilicet, & summarium, unde propterea, actor intentante iudicium ordinarium, atque hanc viam eligente, introit quæstio an ita sibi praedicta censeatur, ut sibi præclusa sit altera via iudicij summarii, vel exequitivi.

Non datur enim quæstio in casu converso; quando scilicet Actor, derelinquendo viam summariam, vel exequitivam, ordinariam afflumere velit; Tum quia non de facilis ille casus est contingibilis; Tum etiam quia, eo contingente, pro frequentiori uso non datur, Rei conventi oppositio, cum Reorum, generale, atque connaturale vitium sit fugere eorumque defensores colant potius materiam dilationum, quam illam justitiae.

Adhuc tamen quandoque istam regulam limitationem vidi, ut scilicet Actor fugeret, atque dilationibus studeret, Reus autem insequeretur, ac sollicitaret, quia nempe, ita exigere temporum oportunitas, vel inopportunitas, ob fortunæ mutationem, quam indies Curia Romana experitur, ex causa principatus electivi, in sphera, seu genere privatuarum personarum.

In hoc autem, regula est negativa, ut electa via iudicij ordinarii, non licet redire ad summarium, vel exequitivum; Unde propterea, majores quæstiones cadunt, super huius qualitatis verificationem, quando scilicet haec electio facta censeatur; Idque regulariter pendere solet à Tribunalium stylo, qui

in una, vel in altera causarum specie diversus esse solet; Puta quia judicium intentatum sit per viam monitorii, seu libelli; Quamvis id solum sufficiens reputari non soleat, nisi aliae accedant circumstan-  
tiae, vel argumenta; quoniam ob clausulas salutares, que in monitoriis adjici soleant, illud resolvibile est in simplicem citationem, qua in omni judicio, etiam exequutivo necessaria est, ideoque aliquid aliud desideratur, cum iste dicatur actus aquivocus. Gregor. & add. deif. 307. Buratt. & add. deif. 208. deif. 30. par. 5. rec.

Eo modo quo ad hunc effectum reputatur cita-  
tio ad dicendum contra articulos, quoniam etiam in judicio summario, & exequutivo quandoque fac-  
ere oportet probationes per testes, pro quorum examine requiruntur articuli, præsertim in materia beneficiali pro exequutione literarum Apostolica-  
rum alicuius provisionis super verificatione nar-  
atorum, cum similibus.

In prophaniis tamen, nimium rari, ac verificabili-  
les sunt casus judicij vere exequitativi in actione per-  
sonali, cum probationibus extrinsecis per examen  
testium, cum ipse punitus, an probationes conclu-  
dant, & an testibus deferendum sit, necne, appella-  
bilitatem secum ferre videatur; Unde propterea in  
Tribunalibus Regni Neapolitani, dictio termini ad  
faciendum probationes, importare solet declara-  
tionem via ordinaria, & exclusionem exequitativa,  
atque super hoc majores quaestiones esse solet,  
magna vice in causa ibi reputatur, obtinere conce-  
ptionem termini in causa.

Aliquas tamen limitationes, seu declarationem  
17 recipit regula supradicta super præjudicio via sum-  
maria, vel exequitativa, resultante ab electione via  
ordinaria; Et præsertim, ut intelligatur in vim  
corundem iurium, secus autem diversorum, putata in  
vim scriptura noviter reperta, cuius notitia non  
habeatur; Sive quodlibet eadem sit causa origi-  
naria utriusque actionis mater, vel productrix, at-  
tamen iudicia sint diversa, & compatibilia, deif.  
30. par. 5. rec. 200. post Zaccb. de obl. cam. Duno-  
zett. decif. 849. Ideoque raro praxis hodie docet  
huiusmodi præjudicia, quæ ex antiquiorum rigoribus  
manant; Et meritò, cum imperitorum Causi-  
dorum errores non debeant adeo præjudicare  
ignaris, & innocentibus partibus; Atque quo magis  
fieri potest, ista subterfugia, quæ præbent ca-  
lumniarum fomentum, evitari debent.

In causa autem prædictarum, vel aliarum limita-  
tionum, ob quarum aliquam dicta variatio permit-  
tatur, expensarum tamen alterius judicij variati re-  
fectio facienda est alteri parti.

Ex hoc autem simili, ac etiam ex altero illius, qui  
conventus tanguam laicos, voluntarie distulit op-  
ponere de clericatu, ut ad eamdem refactionem te-  
neatur, nisi postquam opposuit, adhuc Actor pro-  
sequatur causam coram eodem laico, cum tune in-  
trit mala præsumptione, quod si ab initio oppositum  
fuisset, adhuc non destituerit. Graff. de effect. cler. cap.  
1. num. 880. Farinac. quæst. 8. numer. 16. Bellet.  
disquis. clerical. tit. de favor. cleric. person. § 2. num. 14.  
& seqq. apud quos alii.

In causis contingentia consultus respondit, ut per-  
sona privilegiataque forum Principis elegerat, ita  
declinando forum domicilii, ad quem postea varia-  
verat ex privilegio l. unic. C. quando Imperator inter  
pupil. reficeret alteri parti expensas, ac dam-  
na passa, ratione electionis, & subsequentis varia-  
tionis, cum omnis aequitas, omnisque ratio, ita exi-  
gere videatur.

Procedunt item premissa, ubi electio, ac respe-

ctivè variatio iudicij ordinarii, & summarii, vel  
exequitativi, proveniat ex parte eiusdem Actoris,  
qui prius unam viam elegerit, deindeque poenitens,  
alteram eligere velit; Secus autem ubi id sequatur ex  
parte colligantis, quia nempe, iuxta sequentem  
rubricam, ille, qui iudicium exequitativum timeat, ex  
remedio l. diffamari, & l. contendat, Actorum provo-  
cet ac præveniat in iudicio ordinario, ut in aliqui-  
bus partibus istam præventionis cautelam captio-  
sam, frequens praxis docet, quoniam id non prædi-  
cabit actioni exequitativa, vel summaria, quæ a-  
ctori competit.

Hinc propterea indies Signatura iustitia desu-  
per signare solet contra commissiones cum rescrip-  
to, ut commissiones ab altera parte obtent cren-  
seantur, ac si signata essent cum clausula sine præ-  
judicio obligationis camerale, vel alterius processus  
exequitativi; Et quandoque mandari solet ea-  
rum laceratio, ut neque præjudicent, quoad Judi-  
cem, quia nempe timens processum promptum, vel  
exequitativum in Tribunalu A. C. præveniendo  
curet committere causam in Rota, cum simili-  
bus.

De Præventione causæ quoad Iudi-  
cem in vim iactationum; Ac etiam  
de iudicio præventivo, seu de fu-  
turo.

#### S V M M A R I V M.

- 1 D E preventione facta per reum in iudicio diffamatio-  
nem, vel iactationem.
- 2 D e requisitis pro istius iudicij introducione, & de eius  
effectu.
- 3 N on intrat ubi ad finit molestiae judiciales, idque inhi-  
bitionibus debet exprimi.
- 4 Quid si ista clausula omittatur in inhibitione, an af-  
ficiat, & causet attentata.
- 5 Q uod inhibitus sive iusta, sive iusta sit timen-  
da.
- 6 D eclaratur quando id procedat.
- 7 C lausula apponi solita, habentur pro appositi.
- 8 D e eodem de quo num. 4. & 6.
- 9 Q uod in Signatura non detur stylus certus, ac semper  
uniformis.
- 10 Q uando dicatur causa præventa, vel copta, ut mo-  
lestia dicantur judicialiter illata.
- 11 D e præventione, quam debitor faciat adversus  
creditoris, ut ita effugiat iudicium exequitu-  
rum.
- 12 Q uare in Curia ista materia præventionis sit ra-  
ra.
- 13 E t in Tribunalibus aliorum Principatuum frequens  
præsentia in illis Regni Neapolitani.
- 14 D e iudicio præventivo, seu de futuro super sperata  
actione adhuc non nata.
- 15 D e eodem, & an illud sit licitum præsertim in fidei-  
commisso.
- 16 D e eodem in dote, an scilicet dotanda petat dote-  
ante matrimonium.
- 17 E t an petat preventivum dotis depositum, vel asig-  
namentum.
- 18 Datur certius in annis censibus, aliusque præstatio-  
nibus.
- 19 I dem in iurisdictionibus, ac præminentibus.
- 20 E t in controversiis honorificis, vel præcedentie.
- 21 D e regula generali in materia, & quando hoc iu-  
dicum sit licitum, nec ne.

D I S C.